

# Norme circa l'incardinazione e i viaggi dei sacerdoti nelle diocesi d'oltremare

---

*Documento trasmesso dalla Nunziatura Apostolica in Italia, per incarico della Pontificia Commissione delle Migrazioni e del Turismo, con lettera n. 5620/74 del 19-VII-1974.*

## **De cleri transitu ab una ad aliam dioecesim secundum Concilium Oecumenicum Vaticanum II**

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, a verbis incipientes *Ecclēsiae Sanctae*, accommodas statuerunt normas, ut transitus clericorum ab una ad aliam dioecesim facilius redderetur pastoralis ministerii gratia<sup>1</sup>, eademque novum definierunt incardinationis processum pro illis sacerdotibus, qui quinque continuos elapsos annos in aliqua dioecesi extra propriam sacrum ministerium exercuissent.

Cum vero de harum normarum interpretatione ageretur, quaedam dubitationes ortae sunt, scilicet quaesitum est, quonam modo ipsae sese haberent ad Constitutionis Apostolicae, cui initium *Exsul Familia*<sup>2</sup>, praescripta, attinentia ad maritima cleri itinera.

Quam ob causam, postquam rem mature perpendit, Pontificia Commissio de Spirituali Migratorum atque Itinerantium Cura opportunum duxit, ut normae iam editae cum hodierni temporis necessitatibus componerentur, atque adeo cum Oecumenici Concilii Vaticani II documentis aptius conspirarent.

Nam Concilium in luce saepe collocavit Sacerdotii habitudinem ad universos homines ubique terrarum degentes, crebrasque edidit directorias normas, ut ea modo consentaneo cum praesentibus exigentiis pastoralibus in effectum deduceretur.

« Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis ' usque ad ultimum terrae ' (Act. 1, 8); nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem aptitudinem missionis a Christo Apostolis concredita »<sup>3</sup>.

Igitur Presbyteris « omnium sollicitudo ecclesiarum » cordi esse debet, ex quo consequitur ut semper libenter parati sint « permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum »<sup>4</sup>.

---

<sup>1</sup> I, 3, par. 1-5.

<sup>2</sup> II, Cap. I, art. 3, par. 1.

<sup>3</sup> *Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

<sup>4</sup> *Ibidem*.

Quam ob causam Concilii Patres suaserunt, ut incardinationis atque excardinationis institutum ad novas rationes adducatur, ut « hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeat »<sup>5</sup>.

Ipsa praeterea adolescentis cleri institutio, quae in sacris Seminariis traditur, concipiatur oportet sicut ad universalem Ecclesiae naturam spectans ita ut « clerici... non tantum dioecesis, in cuius servitium ordinantur, sed universae Ecclesiae quoque sollicitudinem habeant »<sup>6</sup>.

Patet hasce necessitates Episcopos in primis attingere, quos Sacrosanctum Concilium invitavit, ut « omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant »; idem praeterea singularem in modum illustravit, unumquemque eorum Ecclesiae una cum ceteris Episcopis esse sponsorem<sup>7</sup>.

Quaedam igitur cautelae, quibus sacerdotum incardinatio in transmarinis dioecesibus nunc coartatur<sup>8</sup>, non modo subsequentibus normis iam implicite sunt abrogatae<sup>9</sup>, sed etiam cum Concilii hortationibus vix consentire censendae sunt.

Praeterea rerum adiuncta nunc penitus mutaverunt, quae, praeterito tempore, suadebant ut Sancta Sedes suam auctoritatem directo interponeret in moderandis transmarinis itineribus, clero ob rationes haud stricte pastorales suscipiendis<sup>10</sup>.

E contrario permanet necessitas auxilii iis sacerdotibus ferendi, quorum Ordinarius « impeditus » dicendus est. Agitur re vera de presbyteris exsulibus, advenis vel profugis, qui varias ob causas libera sui Ordinarii tutela frui nequeunt.

Ergo, in hoc novo contextu rerum, post universam huiusmodi materiam penitus consideratam, opportunum visum est ut, quemadmodum iam magna ex parte evenit, directa competentia explicite agnoscatur Episcopis, ad quos spectet, itemque ipsis nova praebeatur occasio sive universae Ecclesiae necessitatibus respondendi, sive ad suos sacerdotes — omni cum conscientia, perspicuitate et caritate — re vera applicandi universalem ecclesialis communionis rationem.

His fretus causis, Summus Pontifex Paulus PP. VI, coram admissio die XVI mensis martii, anno MDCCCLXXIV, subscripto Cardinali, Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecto huiusque Pontificiae Commissionis Praeside, sequentes approbavit Normas, quibus in posterum cleri incardinatio et itinera in transmarinis dioecesibus dirigentur:

1) Presbyteri qui, secundum praescripta Litterarum Apostolicarum Motu Proprio datarum, a verbis *Ecclesiae Sanctae* incipientium, transmarinas dioeceses ob pastorales causas petunt, Sanctae Sedes Rescripto iam non indigent, de quo Constitutio Apostolica *Exsul Familia* ad Tit. II, Cap. I, art. 3, par. 1 agit.

<sup>5</sup> *Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

<sup>6</sup> *Ecclesiae Sanctae*, art. 3, par. 1.

<sup>7</sup> Cfr. *Christus Dominus*, n. 6.

<sup>8</sup> *Exsul Familia*, Tit. II, cap. I, art. 3, par. 5.

<sup>9</sup> Cfr. *Ecclesiae Sanctae*.

<sup>10</sup> *Exsul Familia*, Tit. II, Cap. I, art. 3, par. 1.

2) Responsabilitas transmarinorum itinerum, quae ob causas non stricte pastorales ineantur (ob studia, animi relaxandi causa, ob humanitatis cultum augendum, ob visitationes faciendas, ob preregrinationes, cetera) in locales Ordinarios recidit. Si haec itinera ultra duos menses protrahantur, consensus exigitur, scripto dandus sive ab Ordinario *a quo*, sive ab Ordinario *ad quem*.

3) Sacerdotum incardinatio in transmarinis dioecesibus locum habebit ad normam Codicis Iuris Canonici et Litterarum Apostolicarum Motu Proprio datarum, quarum initium *Ecclesiae Sanctae* (I, art. 3, par. 5).

4) Quotiescumque Ordinarius *a quo* est « impeditus », consensus expetendus erit a Pontificia Commissione de Spirituali Migratorum atque Itinerantium Cura.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Pontificiae Commissionis de Spirituali Migratorum atque Itinerantium Cura, die 29 mensis iunii 1974.

SEBASTIANUS CARD. BAGGIO  
*S. Congr. Pro Episcopis Praefectus, Praeses*

JOSEPHUS ZÁGON, *a Secretis*

+ EMMANUEL CLARIZIO  
*Arch. tit. Antiaten., Pro-Praeses*